adeò perniciosa est saluti animarum, atque cuivis Reipublicæ, quippe quæ sine consensione Fidei, ac Religionis diu in pace consistere, ac conservari non poterit, ut talis Fidei libertas inter mala maxima Reipublicæ numerari debeat; ideoque Catholicis Principibus non facile malum aliquod gravius esse possit, cujus vitandi causâ Hæreticis subditis suis libertatem exercitii Religionis promittere, aut juramento confirmare liceat; præsertim cùm hujusmodi pactio cum Hæreticis inita postea servanda sit.

148 Et certè conveniunt Doctores, non posse Principes Catholicos ad avertendum malum duntaxat temporale, aut ad obtinendum bonum præcisè temporale, aut *Hæreticos* ad sua Territoria recipere, aut illos tolerare, ac permittere, ut Religionis suæ exercitium ibidem liberè habeant. Hinc

149 Infertur pro praxi, non posse Principem Catholicum recipere *Hæreticos*, vel permittere illis liberum Religionis exercitium pro magna *Summa* pecuniaria, vel ex eo, quòd *Hæretici* majorem & extraordinarium dare eidem velint *Tributum* annuum, vel quia eundem juvant contra alium Principem Catholicum pro conservanda, vel obtinenda aliqua Regione, vel Jure temporali, prout amplius patebit infrà.

150 Limitatur Conclusio *n.* 139. posita in casu, quo *Hæreticis* per pacis, aut alium Contractum vel pactum ex objecto non malum, nec invalidum per Principem Catholicum fuit promissum, quòd in Territorio aliquo sint recipiendi, vel jam recepti tolerandi, suæque Religionis exercitio libero permittendi; Tali enim in casu juxta fidem publicam datam recipi, & recepti tolerari debent. Nisi nova, eaque justa causa superveniat. Ratio est; quia fides publica cuicunque etiam *Paganis*, *Judæis*, & *Hæreticis* data, à quovis etiam Catholico servari debet, *arg. l. Sicut.* 5. *de Act. & obligat.* prout de *Judæis*, & *Paganis* suprà jam diximus, *Tit. VI. de Judæis & Saracenis. nu.* 7. atque ampliùs demonstrat Layman *lib.*2.*Tr.*3.*cap.*12.*n.*15. meritò legendus.

151 Dicitur tamen notanter, *Nisi nova justa causa superveniat:* ob hanc enim sicut *Judæi*, ita etiam *Hæretici* semel recepti, & per fidem publicam de tolerantia assecurati ejici procul dubio possunt, per dicta *cit. Tit. præced. num.* 8. Cujusmodi causam vel maximè esse, communiter agnoscunt DD. si *Pagani*, aut *Hæretici* periculosas Machinationes, aut enormia communiter præparant, aut perpetrant contra veram Fidem ac Religionem, vel Regnum, Provinciam, aut Principem Catholicum Dominum suum; prout in specie v. g. fecerunt Romano Imperatori subditi, utpote Vasalli Romani Imperii, *Hæretici* per fœdus Smalcaldicum *Smalcaldiæ* inter *hæreticos* Principes initum; utpote quo pascifcebantur, quòd unitis viribus Religionem *Acatholicam*, seu *Hæresin* contra Catholicum Imperatorem, aliosque Catholicos Principes, protegere, propagare, veram autem Fidem, aut Religionem Catholicam subvertere velint.

152 Cæterùm ex dictis colliges, quare in Germania tot tolerentur, & in libero suæ falsæ Religionis exercitio permittantur *Hæretici*; ideò nempe, quia per Pacem Religiosam imprimis Passavii 1552. Imperatorem Carolum V. & Principes Catholicos ex una, & Acatholicos ex altera parte initam, ac posteà Augustæ anno 1555. confirmatam, plena securitas & Religionis suæ libertas fuit promissa *Hæreticis* Confessionis Augustanæ seu *Lutheranis* (Calvinistis tamen & aliis Hæreticis ab hoc privilegio exclusis) quam pacem, quia à Sede Romana positivè reprobatam non scimus, nec nos reprobare audemus; præsertim, cùm tunc temporis necessitas vitandi majus malum, periculum videlicet, ne totaliter, vel certè majori adhuc ex parte Provinciæ Germanicæ ad potestatem *Hæreticorum*, indeque ad Sectam eorum transirent, memoratam pacem, eaque mediante *Hæreticorum* securitatem & liberum exercitium tanquam minus Religionis malum permittere coacti fuère Catholici.

Quid autem sentiendum sit de Pace *Osnabrugensi* & *Monasteriensi*, anno 1648. factâ, in quo privilegia de libertate Religionis *Hæreticis* Confessionis Augustanæ per pacem Religiosam concessa, etiam ad *Calvinistas* fuère extensa, & integri Episcopatus, Monasteria, Præposituræ, aliaque plura in summum præjudicium Religionis Catholicæ, libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ in perpetuum fuerunt attributa, colliges ex Innocentii X. Bullâ, qua dictam Pacem penitus annullavit & reprobavit, eamque etsi juramento firmatam, omni valore & robore carere, neminemque ullo modo obligare declaravit, uti magis videre licet ex integro tenore ejusdem Bullæ, quæ prout *in Tom.* 4. *Bullarii Romani decima nona inter Constitutiones dicti Pontificis* reperitur, hic de verbo ad verbum subjungitur.

Innocentius Papa X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Zelo Domûs Dei animum nostrum assiduè commo- 154
vente in eam præcipuè curam sedulo incumbimus, ut Orthodoxæ Fidei integritas, ac Ecclesiæ Catholicæ dignitas & authoritas ubique sarta tecta conservetur, neve eorum, qui quærunt sua potius, quam quæ Dei sunt, facto jura Ecclesiastica, quorum Assertores à Domino constituti sumus, aliquod detrimentum accipiant, Nosque supremo Judici rationem villicationis nostræ reddituri, negligentiæ in credita Nobis administratione arguamur.

§. 1. Sanè cum intimo doloris sensu accepimus, quod per complures unius Osnabrugis die 6. Augusti præsentis anni 1648. inter Charissimum in Christo Filium nostrum Ferdinandum Romanorum Regem in Imperatorem Electum cum suis fœderatis & adhærentibus unâ, ac Suecos cum eorum itidem fœderatis & adhærentibus ex altera: nec non alterius Pacis Monasterii Westphaliæ die 24. Octobris ejusdem anni 1648. inter eundem Ferdinandum Romanorum Regem Imperatorem electum, cum suis pariter fœderatis & adhærentibus ex una, atque Charissimum etiam in Christo Filium Ludovicum Francorum Regem Christianissimum cum suis similiter fœderatis ex altera parte respectivè initarum articulos gravissimè Religioni Catholicæ, Divino cultui, Sedi Apostolicæ, & Romanæ, ac inferioribus Ecclesiis, Ordinique Ecclesiastico, ac jurisdictionibus, authoritatibus, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, privilegiis, rebus, bonis, ac juribus illorum illata fuerunt præjudicia. Etenim pactionibus partim utriusque, partim alterius pacis hujusmodi inter alia, bona Ecclesiastica aliàs ab Hæreticis occupata, illis, eorumque Successoribus in perpetuum addicuntur: Hæreticis Augustanæ, ut vocant, Confessionis liberum suæ Hæreseos exercitium in plerisque locis permittitur, & locorum pro ædificandis ad hunc effectum Templis assignato permittitur; ipsisque cum Catholicis ad publica munia & officia, ac ad nonnullos Archiepiscopatus, Episcopatus, aliasque Dignitates, & beneficia Ecclesiastica, Precumque primariarum eidem Ferdinando Regi in Imperatorem electo à præfata Sede Apostolica concessarum participationem admittuntur. Annata, jura Palatii, confirmationes, menses Papales, &

& hujusmodi jura, ac reservationes in bonis Ecclesiasticis dictæ Confessionis Augustanæ excluduntur. Confirmationes electionum, & postulationum præsentorum Archiepiscoporum, Episcoporum, aut Prælatorum ejusdem Confessionis potestati sæculari attribuuntur. Plures Archiepiscopatus, Episcopatus, Monasteria, Præposituræ, Balliviæ, Commendæ, Canonicatus, & alia Beneficia, & bona Ecclesiastica Principibus hæreticis, eorumque hæredibus, etiam sublatâ denominatione Ecclesiastica in Feudum perpetuum sub dignitatis sæcularis titulo conceduntur. Contra Pacem hujusmodi, ullumve ejus articulum nulla jura Canonica, vel Civilia, communia, vel specialia Conciliorum Decreta, Religiosorum Ordinum regulas, juramenta, aut concordata cum Romanis Pontificibus, ullave alia statuta sive politica, sive Ecclesiastica decreta, dispensationes, absolutiones, aut alias exceptiones allegari, audiri, vel admitti debere disponitur. Numerus septem Electorum Imperii olim Apostolicâ authoritate præfinitus sine nostra, & Sedis præfatæ beneplacito augetur, & octavus Electoratus in favorem Caroli Ludovisi Comitis Palatini Rheni Hæretici instituitur, aliaque multa, quæ pudet referre Orthodoxæ Religioni, Sedique præfatæ, ac Romanæ, & inferioribus Ecclesiis, cæterisque præmissis summopere præjudicialia, & damnosa decernuntur.

§. 2. Et quamvis Venerabilis frater Fabius Episcopus Neritonen. noster, & Sedis præfatæ ad tractum Rheni, & inferiores Germaniæ partes Nuncius extraordinarius in executionem mandatorum nostrorum fuerit palam nostro, & ejusdem Sedis nomine protestatus, ejusmodi Articulos esse irritos, nullos, iniquos, ac per non habentes potestatem temere contractos, atque pro talibus ab omnibus habendos; ac notissimi Juris sit, quamcunque transactionem, seu pactionem in rebus Ecclesiasticis sine præfatæ Sedis authoritate factam, nullam, nullisque valoris, & momenti existere.

§. 3. Attamen quò efficacius præmissorum indemnitati consultum sit, pro commissi Nobis ex alto Pastoralis Officii debito providere volentes, ac instrumentorum utriusque Pacis hujusmodi, omniumque in illis contentorum, cæterorumque hic etiam necessariò exprimendorum, & inserendorum tenores etiam veriores, & datas, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine prædictos alterius, seu utriusque Pacis hujusmodi articulos, cæteraque in dictis instrumentis contenta, quæ Catholicæ Religioni, divino cultui, animarum saluti, eidem Sedi Apostolicæ Romanæ, & inferioribus Ecclesiis, ac Ordini, & Statui Ecclesiastico, illorumque personis, membris, rebus, bonis, jurisdictionibus, authoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, prærogativis, & juribus quibuscunque quomodolibet officium, seu præjudicium etiam minimum afferunt, aut inferre, seu intulisse, & aliàs nocere, seu nocuisse quoquomodo dici, intelligi, prætendi, vel censeri possent, cum omnibus inde secutis, & quandocunque sequendis, ipso jure nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, viribusque & effectu vacua omnino fuisse, esse, & perpetuò fore, neminemque ad illorum, & cujuslibet eorum etiamsi juramento vallata sint observantiam teneri; neque ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut titulum coloratum, vel causam præscribendi etiamsi longissimi, & immemorabilis temporis possessio, seu quasi possessio etiam citra ullam interpellationem, seu interruptionem subsequatur, acquisitum fuisse, necesse, minusve ullo tempore acquiri, & competere posse, neque ullo ultum statum facere, vel fecisse, atque perinde ac si nequaquam emanassent pro non extantibus, & non factis perpetuò haberi debere tenore earumdem præsentium decernimus, & declaramus. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, Articulos præfatos, aliaque præmissa, ut præfertur, præjudicialia, Motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus damnamus, reprobamus, irritamus, cassamus, annullamus, viribusque & effectu evacuamus, & contra illa deque eorum nullitate coram Deo protestamur. Et quatenus itidem opus sit, eadem Sedem Apostolicam Romanamque, & inferiores Ecclesias, ac quælibet loca pia, & quascunque personas Ecclesiasticas adversùs illa in integrum, ac pristinum, & eum in quo ante prædictam, & quascunque alias assertas seu prætensas anteriores exactiones, pactiones, seu conventiones, circa præmissa ubicunque, & quomodocunque factas, erant, statum restituimus, reponimus, ac plenariè reintegramus.

§. 4. Præsentes quoque Litteras cum omnibus, & singulis in eis contentis, etiam ex eo, quòd præfati, & quicunque alii etiam speciali mentione & expressione digni, & in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis nullatenus consenserint, nec ad ea vocati, citati, vel auditi minusque causæ propter quas eadem præsentes emanârunt deductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam ullo modo justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis quantumlibet magno, inexcogitato, & substantiali defectu, aut ex quovis alio capite à Jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine resultante, aut ex quocunque alio colore, prætextu, causâ & occasione notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci ullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus & singulis ad quos spectat, & spectabit, quomodolibet in futurum inviolabiliter observari.

§. 5. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Palatii Apostolici Auditores, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, ac ejusdem Sedis Nuncios, & quosvis alios quâcunque authoritate fulgentes, nunc & pro tempore existentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, & interpretandi facultate, & auctoritate semper, & ubique judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis tam generalibus, quàm specialibus, etiam in Conciliis universalibus editis, & quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, & Constitutione fel. record. Pii Papæ IV. prædecessoris nostri de gratiis qualecunque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus infrà certum tunc expressum tempus in eadem Camera præsentandis, & registrandis, ita ut præsentes nullo unquam tempore in eadem Camera præsentari seu registrari necesse sit, Legibus quoque Imperialibus, & municipalibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate roboratis, statutis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, concessionibus, & litteris Apostolicis, quibuscunque locis, & personis etiam Imperiali, Regali, & alia quavis sive Ecclesiasticâ, sive mundana dignitate fulgentibus, & aliàs quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, etiam motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus etiam Consistorialiter sub quibuscùnque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis,

aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis etiam irritantibus, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries & iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma hæc servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis, formamque in illis traditam pro servata habentes iad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 7. *Volumus autem earumdem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesimo Novembris, Millesimo Sexcentesimo quadragesimo octavo, Pontificatûs Nostri Anno quinto.

155 Reflexiones super hac Bulla Benevolo Lectori relinquo; has enim quamvis cum fundamento hic apponere facilè possemus, tamen suadentibus discretionis, ac prudentiæ Regulis omittimus; quia ob temporis, & modernarum calamitatum circumstantias sine periculo id præstare in his partibus haud valemus.

156 Quæritur II. An, & qualiter possint Principes Catholici in bello, quod intenditur, aut actu jam geritur, sub certo *Fœdere* auxilium promittere, vel præbere *Infidelibus*, vel *Hæreticis*: vel hos in auxilium vocare contra alios præsertim Principes Catholicos: vel cum illis *Fœdus*, ut vocant, *defensivum*, & *offensivum* inire de mutuo ferendo auxilium contra quoscunque? Hæc quæstio sicut summè practica quippe continuò occurrens, & una ex gravissimis, ac importantissimis, utpotè à qua bonum totius Ecclesiæ, & Reipublicæ Catholicæ, quàm plurimùm dependet, esse cognoscitur; ita summe intricata ac controversa ideo præcipuè invenitur inter Doctores; quia plures certa cum incertis, vel controversis confundentes, ut bene distinguunt. Hinc ut in hac summi momenti materia clare, & securè, simulque solidè procedamus, priùs, quæ certa & extra controversiam sunt, præmittere, posteà ad ea, quæ dubia aut incerta videntur, vel saltem controversa inveniuntur, respondere resolvimus, Omnipotentem, Ter Optimum, ac misericordissimum Deum, per JESUM Christum crucifixum; invisibile veræ Ecclesiæ Catholicæ *Caput* humillimè invocantes, ut tam Confessarios, Theologos, & Consiliarios Principum Catholicorum, quàm hos ipsos illuminare & excitare, confortare & adjuvare dignetur, quatenus illi sepofito omni respectu, vel timore humano, passione & affectu inordinato, contemptoque amore, ac interesse proprio, Deum solum, & bonum commune Ecclesiæ præ oculis habentes, saltem ea, quæ certa sunt, Principibus sincerè & candidè manifestent, suadeant, & consulant, ac tanquam gravissimè obligatoria seriò & constanter, denegatâ etiam in casu renitentiæ Absolutione inculcent: In his verò, quæ dubia aut controversa sunt, probabiliora consulant, & suadeant, additâ sufficiente informatione, quòd ubi agitur de præjudicio tertii, aut boni communis, præcipuè autem Ecclesiæ ac Religionis, non licet relictâ probabiliori & tutiori, sequi opinionem minùs probabilem, minusque tutam: Econtra Principes Catholici, sepositâ passione & vindictâ inordinatoque affectu, & curâ Regna & Provincias suas dilatandi, se, suos, domumque suam exaltandi, consilia eorum fideliter exquirant, & quæ rectè, justeque data, amplectantur, & exequantur, siquidem ex eo, quia vel illi, vel isti in aliquo horum defecerunt, proh dolor! contigit, tot iniqua, perniciosa, & periculosa *Fœdera* nonnulli Principes Catholici cum *Infidelibus*, & *Hæreticis* inierunt, gravissimo, & sanguineis lacrymis deplorando activo & passivo damno, cùm per talia *Fœdera*, vel occasione illorum directè vel indirectè factum sit, quod non tantùm Religionis, veræque Ecclesiæ exaltatio & ampliatio, Infidelitatis & Hæresum extirpatio fuerit impedita, sed integra etiam Regna & Provinciæ, Episcopatus, & Præposituræ &c. à Catholicis ad Infideles, ac *Hæreticas*, infidelitatemque & hæresin eorum jam transierint, indeque multi milliones animarum Christi sanguine redemptarum perierint, & adhuc peituræ sint. Quapropter certa ab incertis separando ad Quæstionem,

Resp. I. Circa Quæstionem positam certa, & 157
indubitata esse sequentia. Et quidem certum est I. Quòd Principes Catholici *Infidelibus*, & *Hæreticis* præbere non possint auxilium, nec aliquod ab eis petere ad *Bellum* sive *defensivum*, sive *offensivum* patenter injustum, seu absque justa causa suscipiendum, aut susceptum, sive contra Catholicos, sive Acatholicos. Omnes. Ratio patet; quia malum cognitum, quale gravissimum ex pluribus capitibus utique est bellum injustum, nec perpetrare, nec ad illud cooperari licet, juxta unanimem Theologorum, apud quos, sicut & apud Canonistas *Tit. de Treuga & pace*, amplius vide; quia evidenter certa ulteriùs probare hic vacat.

II. Certum, & indubitatum est apud omnes, 158
quòd Principes Catholici gravissimè peccent, impiè, & scelerate agant, si pecuniis, armis, militibus, annonâ, aut alio modo *Infidelibus*, aut Hæreticis vi fœderis succurrunt, promittunt, aut præbent auxilium ad bellum, quod pro dilatanda sua, & infirmandâ, restringendâ, vel extirpandâ nostrâ verâ Religione gerunt, aut agere intendunt contra Principes Catholicos, præsertim in *defensivo*, & *offensivo bello* Religionis. Ratio manifesta est; quia hæc in re nil aliud est, quàm *Infidelitatem*, & *Hæresim* propugnare, & veram Religionem opugnare, quod ex parte Catholicorum impium, ac sceleratum esse, nimis certum est. Et tales quidem adjuvantes ex duplici capite Bullæ Cœnæ ipso facto excommunicati existunt; inprimis quidem *per §. I.* quo excommunicantur omnes *fautores, & defensores Hæreticorum*: Dein §. 7. quo excommunicantur omnes, *qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christianorum hostes & inimicos, vel Hæreticos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum, ferri flammum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, ligamina, canaben, fumes, tam ex ipso canabe, quàm aliâ quâcunque materia, & ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos & Catholicos impugnant; nec non illos, qui per se, vel alios de Rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus in Christianorum perniciem & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant.*

Resp. III. Certum est III. Non licere Principi 159
Catholico promittere, aut præbere aliquod auxilium

lium *Infidelibus*, aut *Hæreticis*, etiam justum in subditantia gerenubus bellum, vel inire cum ipsis *Fœdus* & pactum contra alios, præsertim Catholicos Principes aut populos cum conditionibus Ecclesiæ, & Catholicæ Religioni præjudiciosis, aut si inde certò prævideatur grave damnum leu præjudicium eidem. Conclusio patebit ex sequenti, ubi dicetur, illicitum esse Principi Catholico etiam in justo suo bello tali modo invocare *Hæreticos* pro auxilio; ergo multò magis illicitum erit illos juvare.

Accedit gravissima utriusque Juris prohibitio, quia universaliter, & sub gravissimis pœnis præsertim Excommunicationis prohibetur, ne *Infidelibus*, aut *Hæreticis* præbeatur ullum quodcunque auxilium in damnum Religionis Catholicæ, uti claire patet ex Bulla Cœnæ §. 7. *num. præced.* allegato, item *c. Quod olim.* 12. & *c. Ad liberandum* 17. *de Judæis, & Saracenis. Clem.* 1. §. *Porro. de Jurejur.* & *L.* 2. *C. Quæ res exportari non deb.* cum Concordantiis.

Nec refert, quod in nonnullis allegatis Juribus de solis *Infidelibus*, non item de *Hæreticis* fiat mentio. Nam contra est: Tum quòd etiam in aliquibus, præsertim verò in Bulla Cœnæ, contra quam nulla dari valet consuetudo, præscriptio, vel non acceptatio juxta dicta *à num.* 81. pariformiter de *Infidelibus*, & Hæreticis disponatur: Tum quòd eadem, vel major prohibitionis ratio militet de *Hæreticis*, quàm *Infidelibus*, cùm illi *Hæretici* longè perniciosiores, & periculosiores sint Ecclesiæ, quàm *Infideles*, uti patet ex dictis *à num.* 142.

160 Resp. IV. Certum est IV. Non licere Principibus Catholicis ad *Bellum*, etsi aliàs ex parte sua justum, pro recuperandis, aut conservandis bonis temporalibus Juce sibi debitis invocare in auxilium *Infideles*, vel *Hæreticos*, aut inire cum illis *Fœdus* & pactum contra alios præsertim Principes aut populos Catholicos cum conditionibus Ecclesiæ & Religioni Catholicæ graviter præjudiciosis, aut si inde certò secuturum prævideatur grave damnum seu præjudicium memoratæ Ecclesiæ, ac Religionis Catholicæ. Ratio est; quia Ecclesiæ, & Religionis Catholicæ bonum commune, utpote spirituale, & à quo innumerarum pendet salus animarum, semper præferendum est bonis temporalibus, prout fatentur omnes *per vulgaria Juris*. Hinc licèt juxta infrà *nu.* 216. dicenda plures Doctores velint, licitum esse Principi Catholico, in bello ex parte sua justo etiam *Infideles*, & *Hæreticos* invocare in auxilium, si id facere potest, atque faciat absque periculo scandali, & sine conditionibus iniquis, vel Ecclesiæ & Religioni præjudiciosis, simulque sine omni gravi damno vel præjudicio inde futuro: Tamen præfati & omnes alii unanimiter concedunt, nullatenus esse licitum, si inde certò secuturum prævidetur grave Ecclesiæ, aut Religionis præjudicium, & multò minùs, si præfatorum auxilium cum apertis conditionibus Ecclesiæ, & Religioni graviter præjudiciosis petatur, aut præbeatur; cùm bellum quantumvis aliàs justum & licitum, illico evadat injustum, si non nisi cum præjudiciosis Ecclesiæ, aut Religionis conditionibus, aut gravi damno illius geritur, aut geri potest, uti Castro Palao *de Charitate. Tr.* 6. *Disp.* 5. *pun.* 3. *num.* 18. & *pun.* 6. *num.* 10. Molina *Tr.* 2. *Disp.* 107. *num.* 6. Bonacina Tr. 2. *Disp.* 2. *de Restitut. in particul. q. ult. sect.* 1. *pun. ult.* §. 2. *num.* 6. Victor *de Jure belli. num.* 33. Marchant. *Tract.* 6. *Tit.* 3. *q.* 1. *dub.* 4. *per totum.* Sporer *Tract.* 5. *in Decalogum. cap.* 2. *sect.* 2. *nu.* 108. dicens, id esse omnino certum, Coninch. *Disp.* 31. *dub.* 4. *n.* 72. Suarez *Disp.* 13. *de Charitat. sect.* 4. *num.* 4. Valens. 2. 2. *Disp.* 3. *q.* 16. *pun.* 2. ℣. *Octavò certum est.* Bruno Neuffer *Disp.* 211. id pariter certum afferens. Probatur Conclusio ulterius per textus Scripturæ, rationes, & Jura infrà *à n.* 188. alleganda, quibus probatur, saltem tunc non esse licitum Principi Catholico cum *Infidelibus*, aut *Hæreticis* Fœdus inire, eisque auxilium præbere, vel hoc petere ab illis, si adhibentur conditiones Religioni præjudiciolæ, aut si grave Ecclesiæ, vel Religionis damnum certe secuturum prævideatur.

Et ex his præsertim duabus Conclusionibus pro 161
praxi infertur. Certum esse, quòd Principes Catholici illicitè, imò pessimè agerent in sequentibus casibus, v. g. Rex Galliæ, si in bello, quod etiam justissimum putaret contra Cæsarem, juvaret Turcas, aut Hollandos cum hac conditione & pacto, quidquid de Regnis, & Provinciis etiam Catholicis Imperatoris occupaverimus, inter nos dividamus, vel mihi hæc, vobis illa Provincia Catholica à Cæsare occupanda maneat.

Vel si idem Rex Galliæ in Bello etsi juxta opinio- 162
nem suam justo pro conservandis aut recuperandis Civitatibus, Provinciis, aut aliis bonis temporabus Jure sibi debitis, contra alium Principem Catholicum v. g. Imperatorem, vel Domum Austriacam invocaret in auxilium *Infideles*, aut *Hæreticos*, v. g. Turcas cum hac conditione, *si in hoc meo justo defensivo, vel offensivo bello, quod contra Imperatorem gero, aut gerere intendo, tale auxilium mihi præstatis, juvabo & vos, nec pacem inibo, donec per arma, vel pacem iterum acquiratis Transylvaniam, aut Regnum Hungariæ*; vel *Hæreticos Anglos* v. g. cum hac conditione, *si juvatis me, cedam vobis meam novam Franciam.*

Vel si Rex Hispaniæ ad Hollandos diceret, *si me* 163
tali, vel tali modo stabilire juvatis in Monarchia Hispaniæ, cedam vobis Ducatum Brabantiæ, & Comitatum Flandriæ: Vel si idem Rex Hispaniæ ad Regem Angliæ, & Hollandos diceret, *si juvatis me contra Cæsarem in Monarchia Hispanica conservare, licitum sit Regiæ Majestati Magnæ Britanniæ, & Generalibus Statibus Hollandiæ, communi consilio & auxilio, quas poteritis in Regno Neapoli, Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ terras, & Urbes armis occupare, quidquid autem occupaveritis, vestrum manebit.*

Vel si Cæsar diceret ad Anglos, & Hollandos, 164
si juvatis me contra Regem Galliæ, licitum vobis sit, communi consilio & auxilio occupare Jure mihi hæreditatis debitum modò ab alio iniquè possessum Regnum Sardiniæ, Siciliæ, & Neapolis, quidquid autem occupaveritis, vestrum manebit.

Vel si Turcam pro auxilio vocaret dicens: si juvas 165
me contra Regem Galliæ, bellum mihi iniquè inferentem, cedam tibi iterum totam Transylvaniam, vel inferiorem Hungariam.

Ratio universalis horum omnium jam assignata 166
est; quia videlicet omnes hæ conditiones, & quælibet earum summè damnosæ & periculosæ sunt Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ; consequenter sub aliqua earum Princeps Catholicus in bello cæteroquin justissimo contra alium præsertim Principem Catholicum *Infideles*, aut *Hæreticos* pro auxilio vocare, aut illos juvare non potest. Cum juxta Unanimem, & certam DD. Princeps Catholicus etiam in bello ex parte sua justo, v. g. pro conservando, aut recuperando bono temporali, Regno v. g. aut Provincia Jure sibi debità, assumpto, vel assumendo contra alium præsertim Principem Catholicum *Infideles*, aut *Hæreticos* pro auxilio vocare, aut eos juvare nequeat cum gravi præjudicio & damno Ecclesiæ, ac Religionis, per dicta *n.* 159. & 160.

Ob eandem rationem pariter gravissimè peccat 167
Prin-

Princeps Catholicus, si etiam absque hujusmodi graviter præjudiciosâ Ecclesiæ conditione expressâ *Infideles*, aut *Hæreticos* invocat, vel juvat casu, quo prævidet, exinde ob alias circumstantias grave Ecclesiæ, aut Religioni Catholicæ damnum aut præjudicium certò secuturum, quòd ipse impedire nequit.

168 V. g. Si Rex Galliæ prudenter prævideret, si in bello hoc, hoc quidem justum ex parte mea contra Cæsarem æstimo, *Turcas* pro auxilio invoco, prohibere non possum, quin plurimæ per eos fiant Ecclesiarum, Monasteriorum, ruinæ, rapinæ, & alia innumera sacrilegia; Vel occupabit ille aliquas Provincias Catholicas, easque conservabit.

169 Vel si idem prævidet, quod si consilio, vel auxilio directè, & indirectè *Turcis* contra Cæsarem aut *Hollandis*, vel *Anglis* contra Regem Hispaniæ succurram, *Turca* unam, vel plures Provincias Catholicas à Cæsare, vel Angli à Rege Hispaniæ aliquas Provincias, vel Insulas Catholicas certò occupabunt, & retinebunt.

170 Vel si Imperator videt, si *Anglis*, & *Hollandis*, vel aliis *Hæreticis*, qui in bonis suis temporalibus injustam aggressionem à Rege Galliæ, pati, indeque *justum bellum defensivum* pro se habere videntur, petito auxilio succurram, procul dubio unam, vel alteram Provinciam, aut Civitatem Catholicam ei eripient, & obtinebunt, sicque integra Provincia à Catholicis ad hæreticos deveniet.

171 Secus foret, si Imperator, aut alius Princeps Catholicus *Hæreticos* contra alium Catholicum Principem injustè illos aggredientem præcisè juvaret ad hoc, ut ab injusta aggressione defensi, in suis per publicam, & validam pacem sibi acquisitis, ac stabilitis bonis & locis manuteneantur, non verò ut nova à Catholicis cum Religionis damno acquirant.

172 Nec quidquam valet, neque pro excusatione Principum Catholicorum juvat, quod objiciunt *Politici* dicendo: *Necessitas non habet legem*, *arg. l. Ubi adsunt.* 19. *ff. de Tutor. & Curat. T.* 7. & 8. *ad S.C. Trebell.* cum Concordantiis. *Et quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum*, *c. Quod non. de Reg. Jur.* Atqui sæpè dantur casus, ubi Principes aliquis Catholicus verè necessitatur, ut *Infideles* & *Hæreticos* cum conditionibus Ecclesiæ graviter præjudiciosis, ut cum certè futuro Ecclesiæ & Religionis gravi damno, pro auxilio invocet, eò quòd *Infideles* aut *Hæretici* sine conditionibus, aut circumstantiis hujusmodi auxilium præbere recusent; sine illorum autem auxilio contra alium Principem Catholicum prævalere, eumque ut injustè ablata temporalia restituat, vel ab injusta aggressione aut prætensione desistat, adigere nequeat: Consequenter etsi aliàs cum conditionibus Ecclesiæ aut Religioni graviter præjudiciosis, aut manifesto cum periculo gravis præjudicii Ecclesiæ secuturi, *Infideles*, aut *Hæreticos* contra Principem Catholicum invocare non liceat, tamen urgente præfata ac simili necessitate id licitum erit. Resp. Enim, allegatam, & similes necessitates non esse absolutas, sed morales duntaxat, in morali autem necessitate præfatas Juris Regulas, videlicet, *quod necessitas non habeat legem*, & *ea, quæ aliàs sunt illicita, fiunt licita*, universaliter non procedere, & quidem in specie locum non habere, ubi transgressio legis vergit in detrimentum, seu grave præjudicium Ecclesiæ, aut Religionis Christianæ, ut habet unanimis DD. signanter Suarez *de Censur. Disp.* 6. Layman *lib.* 1. *Tr.* 4. *cap.* 14. *num.* 6. Palaoubi suprà, Sotus *lib.* 1. *de Justit. q.* 6. *a.* 4. Coninck *p.* 3. *t.* 2. *Disp.* 13. *dub.* 12. Medina 1. 2. *q.* 96. *a.* 4. 5. *Sequitur gravissimum dubium*, cum quibus ad propositum in specie etiam sentiunt citati suprà *n.* 160. & alii dicentes, in tali casu jure naturali & divino obligari quemvis, ut bonum commune Religionis, Fidei, & Ecclesiæ cuivis bono temporali præponat, consequenter ad hoc conservandum, vel obtinendum, in grave præjudicium illius nihil attenter.

173 Dices, ex hoc sequeretur, quòd Principes Catholici essent deterrimæ conditionis, utpote, qui nec ea, quæ justè possident, securè retinere, nec injustè sibi ablata recuperare possent, cùm potentiores alii Principes Catholici illos rebus & locis pro libitu privare possent, & instigante ambitione, amore, & interesse proprio, passione, aut injustâ vindictâ non raro privarent hoc ipso, quòd scirent, Adversarium vires ad resistendum sufficientes non habere, alios verò sine conditionibus præjudiciosis Ecclesiæ auxilium non præbere, aut aliàs sine gravi Ecclesiæ damno auxilium illorum invocari non posse; atqui sequela hæc videtur nimis difficilis Principibus Catholicis, imò manifestè absurda, ergo.

174 Ad hanc objectionem respondetur, ordinariè loquendo, de nullo Principe Catholico quantumvis potente supponi debere, quòd alium Principem Catholicum sine justa causa *Belli* aggredi, vel eum locis, Provinciis, aut aliis rebus suis injustè privare velit, sed, si aggreditur, aut privare attentat, id facere ex causis, quas putat sufficientes ad hoc esse, & justas, non obstante, quòd pars adversa id injustè, & cum sui injuria fieri putet, cùm *Bellum* ex utraque parte formaliter justum esse, & quivis coram Deo ac conscientiâ sincerè putare, & judicare valeat, se habere justam causam, & justitiam *Belli* stare pro se, uti communiter tam Theologi, quàm Canonistæ ad *Tit. de Treuga & Pace* docent: In tali autem casu non ad *Infideles*, aut *Hæreticos* cum iniquis, & Ecclesiæ summè præjudiciosis conditionibus, aut aliàs cum gravi damno eidem certè eventuro recurrendum est, sed ad alia licita, & convenientia media, quæ ordinariè non deficiunt.

175 Si quidem si stantibus pro utraque parte rationibus, causa dubia aut controversa existit, quolibet existimante, justitiam *Belli* æquè, vel magis pro se, quàm alio stare, potest Princeps Catholicus vel ad *Transactionem* recurrere, vel compromittere in *Arbitros*, præsertim verò Sedem Apostolicam, quæ in cunctis justa semper existens, & speciali assistentiâ Spiritûs S. gaudens, rectè judicando jus suum cuique certò tribuet, prout in similibus casibus jam non sine ædificatione totius Mundi experti sunt plures Principes Catholici. Quorum exemplum si nonnulli Principes Catholici secuti fuissent, vel adhuc sequerentur, nec tam copiosus Christianorum sanguis effusus, nec tot Provinciarum, & populorum ruinæ secutæ fuissent, nec *Hæreses* tanto perè invaluissent, sed potiùs pridem jam extinctæ fuissent.

176 Vel si *Transactionis*, & *Arbitrii* media recusans potentior Princeps Catholicus rem absolutè prætendit, potest Princeps debilior recurrere ad Sedem Apostolicam, & demonstratâ justitiâ suæ causæ eam requirere, ut potentiorem vel ad saniora disponat, vel Censuris, aliisque mediis competentibus adigat; vel potest in auxilium vocare alios Principes Catholicos, vel tandem his deficientibus, aut insufficientibus, aut succurrere nolentibus, potest invocare & adhibere auxilium *Hæreticorum*, aut *Infidelium*, si hi sine præjudiciosis Ecclesiæ conditionibus juvare velint, & aliàs exinde nullum periculum Ecclesiæ, aut Religioni sequatur, juxta dicenda infrà *n.* 209.

Si nullum ex allegatis, nec alium medium, quàm

Infide-

Infidelium, aut *Hæreticorum* auxilium non nisi cum præjudiciosis Ecclesiæ, & Religionis conditionibus, aut aliàs magno cum damno Ecclesiæ præstandum, pro retinenda, aut recuperanda re, aut jure suo temporali superesse videatur, debet necessariò rem Deo commendare, & jacturam rerum temporalium, etiam integrarum Provinciarum potiùs sustinere, quàm eas gravi cum præjudicio & damno Ecclesiæ Catholicæ recuperare, aut conservare ob rationes suprà dictas.

177 Idem facere, vel unum ex allegatis licitis mediis assumere, vel his, & aliis licitis deficientibus rem Deo commendare, & reservato sibi Jure quocunque jacturam temporalem pati potiùs debet debilior Princeps Catholicus, etiam casu, quo justitia causæ apertè pro ipso staret, & potentior injustus aggressor, vel occupator manifestè apparet: ob easdem rationes & Jura *à n.* 185. allegata, & alleganda infrà *à n.* 188.

178 Nec Doctrina hæc nimis gravis, ac difficilis dicatur Principibus Catholicis: Tum quia rarissimè, & nonnisi extraordinariè contingit; quòd omne auxilium justum debiliori deficiat; præsertim, si justitia causæ apertè, & manifestè pro ipso stat, cùm in tali casu ferè quivis contra apertum aggressorem, aut usurpatorem justè indignans pro conservando Jure naturæ, ac gentium, & ut in simili casu ipse quoque auxilium sperare valeat, modo licito auxilium præbere paratus sit, supremo Universi Rectore, ac Gubernatore corda ad id movente, suumque auxilium præbente, ut ad evitanda scandala, publicæ & apertæ Magnorum Principum injustitiæ coerceantur, & castigentur, ac illi, qui aliena invadere, rapere, aut usurpare aperta injustitiâ nituntur, sua perdant; ordinariè enim propter injustitias transferuntur Regna.

179 Quòd si verò extraordinariè contingeret, etiam in tali casu debiliorem Principem Catholicum sufficienti in sua justa causa aliorum justa ac licito auxilio destitui, solumque superesse *Infidelium*, aut *Hæreticorum* auxilium non nisi cum præjudiciosis Ecclesiæ, ac Religionis conditionibus, aut gravi damno ejusdem inde secuturo præstandum, hoc, ut diximus, nullatenus invocare, multò minùs accepitare potest, sed sub gravissimo peccato Mortali respicere obligatus, inscrutabilia simulque justissima judicia divina, ac permissionem humillimè adorare, & credere debet, quòd cùm *non sit malum* (pœnæ) *in Civitate, quod non fecit Dominus*, nec fieri, nec omitti aliquid valeat sine divinâ ejusdem dispositione aut permissione, Deum vel ob suam, vel populi adimpletam peccatorum mensuram, vel ex aliis etsi occultis, tamen justissimis & sanctissimis causis malum hoc super ipsum, vel populum immittere, vel permittere ad ipsius & aliorum salutem spiritualem, &, si huic non obsit, majorem utilitatem temporalem suo emersuram.

180 Hinc cum resignatione in Divinam voluntatem sequentes, aut similes virtutis actus heroicos sanctissimè & utilissimè producere poterit.

Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ, & potiùs omnia perdere, quàm aliquid eorum cum gravi tui offensâ conservare, aut recuperare: Malo omni auxilio carere, quàm ad Deos alienos recurrere invocando Infidelium, *aut* Hæreticorum *auxilium gravi cum damno Ecclesiæ, & Dei mei injuriâ: longè præstat, ut ego & domus mea jacturam temporalem, quàm ut Ecclesia & Religio, indeque innumeræ animæ pretiosissimo Sanguine Christi redemptæ, spiritualem patiantur jacturam.*

Justus es Domine, & rectum judicium tuum, Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.

Sicut fuerit voluntas in Cœlo, sic fiat.

Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.

Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua, & in veritate tua humiliasti me, melius mihi est terrestre quàm cæleste Regnum perdere.

Quid enim mihi prodest, si mundum universum lucrer, animæ autem detrimentum patiar?

181 Debet etiam, & potest secure confidere in Deo, qui sicut facilè potest, ita ordinariè solet, mirè juvare illos, qui spretis auxiliis illicitis in ipso firmiter confidunt, & confidentes dicunt:

Non est tibi difficile salvare vel in multis, vel in paucis.

Dominus mihi Adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo.

Dominus mihi Adjutor, & ego despiciam inimicos meos.

Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.

Non timebo millia populi circumdantis me; exurge Domine, salvum me fac.

182 *Verumtamen non sicut ego, sed sicut tu vis: sicut fuerit voluntas tua in cælo, sic fiat.*

Tuum est Regnum Domine, tua potentia &c. A te, quæ habeo, possideo, & propter te despicio.

Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi qui habitant in ea.

Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat. 183

Ad hos, & similes actus, si contempto præjudiciosò Ecclesiæ auxilio, in præfato extraordinario casu elicerent Principes Catholici, utique mirum in modum experirentur auxilium divinum, ac summoperè promoverent gloriam Dei, & bonum Ecclesiæ, sibique & Domui suæ temporaliter, & spiritualiter longè magis consulerent, quàm si timore Dei, & confidentiâ in ipsum postpositis, ac malè conditionata, vel aliàs præjudiciosa Ecclesiæ & Religioni auxilia inique recurrant, providentiâ Divinâ cuncta ita disponente, dirigente, & permittente, ut cum tempore cuique reddatur juxta opera sua, ut vel statim, ac de præsente, vel saltem in filiis puniantur, & præmientur facta parentum, uti patet exemplis infrà *à n.* 199. ponendis.

184 Et hactenus quidem, videlicet quòd Princeps Catholicus non possit *Infideles*, aut Hæreticos juvare, vel auxilium eorum pro conservandis, aut recuperandis bonis temporalibus jure sibi debitis, sicque in Bello justo invocare, aut *Fœdus* cum illis inire sub conditionibus Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ graviter præjudiciosis, vel cum manifesto periculo gravis damni Eidem inde certò secuturi, certa & indubitata sunt apud Doctores.

185 Magna autem Controversia est inter eosdem, num liceat memoratos *Infideles*, aut *Hæreticos* juvare, vel illorum auxilium invocare, aut *Fœdus* cum eisdem inire, si nullæ conditiones Ecclesiæ, aut Religioni præjudiciosæ, nec aliàs illicitæ, sed honestæ adhibeantur, & aliunde nullum Ecclesiæ, vel Religionis periculum subesse, aut damnum præviderur.

186 Circa quam Controversiam, licèt non desint, qui *Negativam* acerrimè defendunt, docendo, absolutè & semper illicitum esse cum *Infidelibus*, ac *Hæreticis* inire *Fœdera*, illosque juvare, & auxilium eorum invocare saltem contra Principes Catholicos; quia putant, nunquam fieri posse, quòd *Fœdus* cum Infidelibus ineatur, vel auxilium eis præstetur, vel petatur ab eisdem, quin vel scandalum, vel præjudicium Ecclesiæ & Religionis directè aut indirectè sequatur. Tamen aliqualiter mitiùs loquendo

Resp. V. Quamvis regulariter, ordinariè, & 187

commu-

communiter loquendo, illicitum & graviter peccaminosum sit Principibus Catholicis, cum *Infidelibus*, vel *Hæreticis* Belli *Fœdus* inire, illoque in Bello etiam justo juvare, vel auxilium illorum invocare contra alios saltem Principes Catholicos: Nihilominùs dantur casus aliqui, in quibus id licitum est, tunc videlicet, quando nullæ adhibentur conditiones Ecclesiæ, ac Religioni graviter præjudiciosæ, simulque moraliter certò apparet, quòd ex tali *Fœdere*, vel auxilio nec scandalum, nec grave aliquod Ecclesiæ vel religioni damnum aut præjudicium sequi valeat: Et multò magis, quando tale *Fœdus* redundat in certum emolumentum Ecclesiæ, vel necessarium est ad avertendum longè majus Ecclesiæ & Religionis damnum.

188 *Prima* pars Conclusionis, quòd videlicet ordinariè loquendo, illicitum sit, tenent Layman *lib.* 2. *Tr.* 3. *cap.* 12. Molina *de J. & J. Tr.* 2. *Disp.* 112. *num. ult.* Suarez *de Bell. Disp.* 13. *sect.* 7. *nu.* 25. Palao *p.* 1. *tr.* 6. *disp.* 5. *pun.* 3. *nu.* 18. & *pun.* 6. *num.* 10. Bonacina, Simon Majolus, Besoldus, & ex professo per egregie Pignatelli *Tom.* 9. *Consult.* 185. *per totum*, cum communissima & certa aliorum.

189 Probatur hæc *prima* pars Conclusionis ex sacris Litteris, ubi passim habetur, quòd Deus similia *Fœdera* cum Infidelibus graviter prohibuerit, & contra agentes severè puniverit. Audiamus ex plurimis aliquos saltem hujusmodi textus. *Exodi* 23. *in fine.* Fideli populo suo expressè prohibet Deus: *Non inibis cum eis* (infidelibus) *fœdus, nec habitent in terra tua, ne fortè faciant te peccare in me*: & Cap. 31. *Cave, ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, nec ineas pactum cum hominibus illarum Regionum.* Item Deuteron. 7. *Non inibis cum eis fœdus.*

190 Cùm Asa Rex Judæ *Paralipom. lib.* 2. *cap.* 16. timeret Baasæ Regis Israelis formidans, sub certo pacto in auxilium vocaret Benedat infidelem Regem Syriæ illis verbis: *Fœdus inter me, & te est, pater quoque meus, & pater tuus habuère concordiam. Quam ob rem misi tibi argentum, & aurum*: illico missus à Deo fuit ad illum Nam.m Propheta, qui cum interpretationibus & minis ei diceret: *Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ Regis exercitus de manu tua Nomine Æthiopes, & Libyes multò plures erant quadrigis & equitibus, & multitudine nimiâ, quos, cùm Domino credidisses, tradidit in manu tua*: Subjungit dein rationem, quare spreto, & neglecto illicito auxilio hominum in Deo fiduciam ponere deberent Principes, *Oculi enim* (ait) *Domini contemplantur universam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stultè igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore adversum te bella consurgent.*

191 Amasias item Rex Judæ cùm contra Idumæos bellaturus, in auxilium sumpsisset ex Israel, qui relicto cultu Dei vero, in idololatriam cum Jeroboam deflexerant, *centum millia robustorum centum talentis argenti*, 2. Paralip. 25. Jubente Deo venit ad eum Propheta, dehortans eum ab isto ipsorum auxilio: *O Rex, ne ingrediatur tecum exercitus Israel, non enim est Dominus cum Israel, ut cunctis filiis Ephraim.* Et ut confundantur principia Politicorum, qui diffidentes auxilio Divino, vel omnem vel potissimam spem suam ponunt in brachio carneo, & robore exercitûs, addit Propheta ibidem: *Quòd si putas in robore exercitûs bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus. Dei quippe est, & adjuvare, & in fugam convertere.* Paruit sancto consilio Amasias, & abjecto *Infidelium* auxilio, spretaque jactura centum Talentorum, quæ *Infidelibus* jam expenderat, cum solo fideli populo Victor contra Idumæos gloriosus evasit.

192 Huc facit illud, quod Propheta improperavit Josaphat Regi Judæ, dum impio præberet auxilium, 2. Paralip. 19. *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum amicitiâ jungeris; & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera tua inventa sunt in te, eò quòd abstuleris lucos de terra tua.*

193 Probatur *secundò* Oraculis SS. Pontificum, SS. Patrum, & aliorum Doctorum. Enim verò Clemens VII. Clemens VIII. significari fecit Henrico IV. Regi Galliæ, quem ceu filium unicè diligebat, ut videre est *in Epistol.* 327. Cardinalis Ossati: *Majestatem ejus credere non posse, quanti sibi doloris argumentum sit, quòd inimicos Dei tam perfidos, & adversus Sedem Apostolicam exacerbatos, qui anno tertio tot sacrilegia, & abominationes contra Ecclesias, locaque sacra perpetrârunt, suppetiis, & favore sublevari ab eo concernant, quam S. Sedes tam bono animo, quibuscunque potuit modis, & rationibus complexa est, pacem Regno ejus intus & foris procuravit.*

194 B. Pius V. Papa societatem Regis Franciæ cum Turcarum Rege damnavit, eumque *Labem Franciæ* vocavit, uti habetur *apud Francisc. Long. Coriolan. in Breviar. Chronol.*

195 Joannes VIII. Cùm quidam Italiæ Principes ac populi pro commodo suo temporali cum *Saracenis* fœdus iniissent, ut eorum viribus res suas neglecto Ecclesiæ detrimento stabilirent, diversis Epistolis ad eos exaratis, rem tanquam gravissimi sceleris atrocitatem execratus est; dum eam *Epistol.* 35. & 46. vocat *impium scelus*, ibidem *societatem ad perditionem animarum initam.* Hinc hortatur, suadet, & authoritate Apostolicâ præcipit hujusmodi pacta, & fœdera disrumpi, *misimus, inquit, Vulbertum Portuensem, & Eugenium Ostiensem, ut pactum illud, quod perditionis est causa, dissolvi per omnia suaderent.* Et Epistol. 38. *iterumque atque iterum exhortamur, ut Christiani Nominis viri Paganorum fœdera fugiant, & solum in Deum, qui eos creavit, & non in Diaboli membra, quæ sunt fornicationes, & vasa iræ, spem suam ponere discant.*

196 Quibus suasionibus non contentus, etiam præcepta, & quidem sub excommunicatione adhibuit *Epist.* 40. & iterum *Epist.* 292. ad Episcopum Præfectum, totumque populum Amalphitanum: *Quòd si in tali impio scelere, diabolo persuadente, amplius permanere præsumpseritis, & ipsum pactum de præsenti non corruperitis, præcipimus huic Episcopo nostro Dominico, ut vice nostrâ omni Ecclesiasticâ communione privare procuret.* Ubi specialiter notandum cum Pignatelli *loc. cit.* hoc fœdus initum non fuisse cum expressis conditionibus Ecclesiæ præjudiciosis; & tamen à Papa reprobatum & damnatum esse; quia saltem indirectè nocebat, & præjudicabat Ecclesiæ, ac Religioni.

197 S. Chrysostomus *in Matth. homil.* 1. cùm historiam & fœdus Josaphat cum impio Achab examinaret; *vides* (inquit) *quia nec dare potuit auxilium inimicis Dei, nec ab eis accipere. Quoniam autem nec accipere oportet ab inimicis Dei, docet nos supra dicta historia de Asa. Quoniam verò nec dare, instruit nos hæc historia de Josaphat; qui enim petit auxilium ab inimicis Dei, de auxilio Dei desperat, utiliores sibi existimans inimicos Dei, quàm Deum. Qui autem dat auxilium inimicis Dei, adversatur Deo, Deo enim volente conterere inimicum suum, ipse eum defendere tentat.*

198 Similia piissimo tunc temporis Imperatori vi Fœderis Hæreticis libertatem, præcisè concedenti scripsit S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 46. Item Theodorico, ac Theodoberto Regibus Francorum S. Gregorius *lib.* 7. *Epist.* 16. *Pientissimum*, inquit Nazianzenus, *Imperatorem doceat, nihil ex reliquo ipsius erga Ecclesiam studio redditurum esse utilitatis, si tale malum ad fidei sanæ eversionem, eorum Hæreticorum libertatem, licentiamque prevaleat.* Ad quod Doctissimus Pignatelli *cit. Tom.* 9. *Consultat.* 185. *n.* 42. *Audis, inquit, Regum socordiam in reprimenda Hæreticorum licentia, omnem eis bonorum operum, zelique fructum tollere? Quid eis igitur expectandum, qui licentiam Hæreticorum non modò non comprimunt, sed temporalis æmulatione Principatûs accedunt, & ad eversionem Ecclesiarum eis laxissimas habenas, adeoque subsidium præbent? Qui membra Christi non solùm hostibus ejus conculcanda permittunt, sed de industria culcanda tradunt, easque, qui tenentur libertatem fidei, Religionisque suæ ferro sternunt, & innocentem, clamantemque in Cœlum sanguinem fundunt? Neque tales forsan, neque Christiano Nomine dignaretur par utrique Gregorio, quâ eruditione, quâ sanctitate Basilius Epist.* 192. *quantumcumque de cætero rectè vivere, & pietatem studiis suis prætexere videntur: Non Christiani, inquit, sunt tales, sed Christi negotiatores, qui quod præsenti vitæ commodum est, vitæ ex veritate discendæ præferunt, ubi inanem hunc Principatum adipisci se posse arbitrati sunt, inimicis Christi se sociârunt, ubi populum invitari viderunt, versus fidei rectitudinem præseferunt, sunt verba Basilii*; hucusque Ille.

199 Probatur *tertiò* gravissimis pœnis, quibus Deus illos punivit, qui cum *Infidelibus* & *Hæreticis* fœdus inière, eosque in auxilium vocavêre. Quorum exempla tam ex sacris, quàm profanis historiis plurima lectu dignissima affert Pignatelli *loc. cit. à num.* 52. *usque ad num.* 78. Nos aliqua tantum breviter ex illo hic adducamus. Et inprimis qualiter Deus Regibus Asa, Josaphat, & Amasiæ propter *fœdus* cum Dei inimicis partim minatus fuerit, partim inflixerit pœnas, patet ex dictis suprà *à num.* 190.

200 Judas Machabæus, qui divino fretus auxilio oppressam tunc fidelem gentem suam exiguâ suorum Manu erexerat, hostesque prostraverat, quamprimùm cum Romanis tunc *paganis* & quidem primus omnium Fidelium fœdus inivit, eosque in auxilium vocavit, infelici interitu confestim pœnas dedit, & stantem jam, florentemque Rempublicam suamque iterum prostravit; Nam eo ipso anno, ac penè mense, antequam vel Legati Româ rediissent, ipse Judas cum flore exercitûs prostratus, unus fratrum interfectus, alii duo Jonathas & Simon vel exules in desertum pulsi, tota Regio cum Urbibus, & præsidiis in Demetrii potestatem tradita; talisque facta tribulatio in Israel, & qualis non fuit ex die, qua non est visus Propheta in Israel, 1. *Machab.* 9.

201 Jonathas Judæ frater, & in Principatu successor, post paucos annos idem *Fœdus* cum Romanis inivit, sed malo etiam effectu: Nondum enim Jerosolymam reversis Legatis ipse cum duobus filiis, & mille vitis proditione Tryphonis interfectus est, & Respublica iterum conjecta in summum periculum, Deo diffidentiam in divinum, & fiduciam in auxilium Infidelium puniente.

202 Inter exempla in Ecclesia Dei plurima sunt etiam, quòd Eudoxia Augusta cum Vandalos Arianos *Hæreticos* auxilii causâ contra Maximum in Italiam accerseret, Deo vindice cum filiabus Eudoxia, & Placidia in Africam captivæ ductæ sint. Paulus Diaconus *lib.* 4. *Histor. Miscell.* & Procop. *lib.* 1. *de Bello Vandal.*

203 Bonifacius Comes dolo Aretii rebellionis injustè accersitus, quamdiu ab impiorum auxilio abstinens, Divino auxilio fidit, superior fuit Adversariis suis, Ducibus Mavortio, & Gallione interfectis: quamprimùm verò auxilio divino diffidens Vandalos Alanosque *Hæreticos* in interitum Ecclesiæ Africanæ, & Catholicæ Fidei, pro auxilio in Africam evocavit, adfuit continuò etiam pœnitenti ultor Deus: Nam cum Vandalis pugnan victus est, & Hippone obsessus, & superatus misere periit. Iidem qui suprà.

204 Quàm infelicem exitum habuerit, & quàm graves pœnas Francisco I. Galliarum Regi, ejusque Posteritati, totique Regno attulerit *Fœdus*, quod idem Franciscus cum Turcis inivit contra Carolum V. ad horrorem, & stuporem usque, passim legere est in historiis.

205 Palæologi dum inter se de Imperio decertant; & inito cum Turcis *Fœdere* in Europam eos advocant: Mercedis loco Imperium eorum primò à Turcis invasum, inde precario obtentum, filii facti Turcam Janizari, Regnum amissum, Constantinopolis capta, stirps Palæologorum radicitus excisa est. Calchandilus *lib.* 1. & 2. *de Rebus Turcicis.*

206 *Quartò* probatur, præsertim contra eos, qui vi *Fœderis* juvant *Infideles*, & *Hæreticos* per Jura suprà *num.* 158. & *num.* 159. allegata. Accedunt actuales Excommunicationes, quibus Summi Pontifices innodarunt Principes, & populos Catholicos cum *Infidelibus*, & *Hæreticis* Fœdus ineuntibus, inter quas fuit etiam illa, quâ Joannes VIII. aliquoties actu excommunicavit quosdam Principes Catholicos ob belli *Fœdus*, quod cum Infidelibus habebant in damnum Ecclesiæ saltem indirectè indè secutum, uti inter alia patet ex illius *Epist.* 22. ibi: *Virtute S. Spiritûs, & authoritate S. Petri, cui ligandi & solvendi, & solidandi in cælo, & in terra in Domino concessa est potestas, omni sacra communione, unâ cum totius Apostolicæ Sedis consensu privavimus, & ab Ecclesia Dei societate separavimus; ut in eadem Excommunicatione maneatis, donec &c.* Et cum aliqui ab Excommunicatione absolvi peterent, respondit: Epist. 41. *Absolvite vos prius colligationes impietatis, & Fœdus impium, quod cum inimicis Christi habetis compositum, & nos illico misericordiam &c.* & infrà: *In scelere impio manentibus miserandum non est.*

207 Item Excommunicatio tribus vicibus lata in Bulla Cœnæ in omnes, qui belli causâ auxilium, consilium, aut favorem quomodolibet præstant *Infidelibus*, aut *Hæreticis.*

Quintò probatur ratione: quia licèt Princeps Catholicus *Fœdus* cum *Infidelibus*, aut *Hæreticis* sub præjudiciosis conditionibus Ecclesiæ, & Religioni non ineat, nec sub iisdem auxilium ab eis petat, nec illis præstet, neque etiam scandalum vel damnum Ecclesiæ aut Religioni inde secuturum certò prævideat, tamen ordinariè loquendo, præfatum scandalum, aut Ecclesiæ & Religionis damnum directè, aut indirectè sequitur, teste experientia, præsertim cùm tam *Infideles* erga Christianos, quàm *Hæretici* erga Catholicos, vel potiùs Ecclesiam & Religionem Catholicam radicatum, ac implacabile odium & aversionem habeant, vi cujus quandocunque possunt, etiam cum arctissimo fœdere contra Catholicos uniti, & ubi minimè prævidetur, Ecclesiæ & Religioni directè ac indirectè nocere, aut præjudicare, suamque falsam Sectam promovere, ac dilatare, seque augere, ac potentiores efficere conantur: quod plurimis exemplis demonstrat Pignatelli *cit. Tom.* 9. *Consultat.* 185. & multiplici eaque recentissimâ experientiâ confirmatur, quâ constat, quòd ferè nullum *Fœdus* Catholicorum Principum cum *Infidelibus* & *Hæreticis* fuerit, nec auxilium eorum invocatum, vel eisdem præstitum saltem contra Principes Catholicos sit sine gravi aliquo Ecclesiæ, ac Religionis damno aut præjudicio.

Ab exemplis hujusmodi recentibus in specie consultò abstrahimus, eaque considerationi Lectoris relinquimus.

208 Interea concludimus, quòd cùm juxta certam, & unanimem doctrinam *à num.* 160. *usque ad num.* 187. positam, impium, iniquum, & graviter peccaminosum sit, causâ *Belli* etiam justi cum *Infidelibus*, aut *Hæreticis* etiam absque positivis conditionibus Ecclesiæ aut Religioni graviter præjudiciosis *Fœdus* inire, vel auxilium eorum invocare, aut juvare eosdem præsertim contra Catholicos cum gravi scandalo, aut damno Ecclesiæ & Religioni directè, aut indirectè inde secuturo: Tale autem scandalum, vel grave damnum ac præjudicium Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ ex hujusmodi Fœderibus, & auxiliis petitis, vel præstitis, ordinariè sequantur, juxta dicta; consequens est, quod *Prima* pars Conclusionis *num.* 187. positæ dicit, videlicet, *ordinariè & regulariter loquendo*, impium, iniquum, illicitum, & graviter peccaminosum, utpote Ecclesiæ & Religioni directè, vel indirectè graviter præjudiciosum esse cum *Infidelibus*, & *Hereticis* bella *Fœdera* inire, eosque juvare, vel pro auxilio invocare, præsertim contra Principes Catholicos, etiamsi conditiones Ecclesiæ, & Religioni graviter præjudiciosæ, aut aliàs positivè iniquæ non adhibeantur.

209 *Altera* dictæ Conclusionis *num.* 187. positæ pars, scilicet, quòd nihilominùs dentur aliqui casus, in quibus id licitum est, tunc nempe, quando nullæ adhibentur conditiones Ecclesiæ, & Religioni præjudiciosæ, vel aliàs illicitæ, simulque moraliter certò apparet, *Fœdus* cum *Infidelibus*, aut *Hæreticis* iniri, vel auxilium illis præstari, aut peti ab iisdem manifesto cum emolumento & commodo Ecclesiæ & Religionis, vel certè nullum exinde scandalum, nec grave aliquod damnum Ecclesiæ, aut Religioni sequi posse, vel denique si ad avertendum majus Ecclesiæ, ac Religionis malum necessarium videtur. Probatur hâc ratione, videlicet, quia uti bene advertunt Layman *lib.* 2. *Tr.* 3. *cap.* 12. *num.* 6. Molina *de Justit. & Jur. Tr.* 2. *Disp.* 112. *n. ult.* Panormitanus *in c.* 8. *de Voto & Voti redempt. num.* 15. Decianus *vol.* 3. *Consil.* 20. Bocerus *Tr. de Bello. cap.* 6. *num.* 16. & alii; *Fœdus* cum Infidelibus, aut *Hæreticis* inire, vel auxilium ab eis petere, aut præstare eisdem, non ex se, & naturâ suâ, sed ratione scandali & periculi damnorum; quæ Ecclesiæ, & Religioni inde ordinariè sequuntur, illicitum est; consequenter ubi omne tale periculum abesse moraliter certum videtur, & multò magis, si etiam commodum, & emolumentum Ecclesiæ inde sequi, vel majus Ecclesiæ malum averti, aperte conspicitur, id licitum erit.

210 Confirmatur: quando Catholicus aliquis privatus, iniquè, & sine omni justa causa vellet alium Catholicum, vel etiam *Saracenum*, aut Hæreticum occidere, nemo negat, quin contra iniquum aggressorem posset Catholicus Turcam aliquem, vel Hæreticum, vel hic Catholicum à longè stantem in auxilium vocare, unusque alteri auxilium impertiri, *arg. l. Ut vim* 3. *ff. de l.* & *l.* cum Concordantiis. Pariter si duo vel tres malitiosi Catholici colluderent, ad occidendum vel spoliandum unum Catholicum, & duos Hæreticos aut Infideles, possint hi tres fœdus inire, de mutuo ferendo auxilio, quandocunque aliquis eorum injustam aggressionem à malitiosis illis patiatur; *arg. cit. l.* 3. *ff. de l.* & *l.* ergo ex se, & natura sua malum, & illicitum non est, cum *Infidelibus*, aut *Hæreticis* inire *Fœdus*, vel auxilium illorum implorare, aut id eisdem præstare, sed tantum ratione scandali, aut gravis damni Ecclesiæ, aut Religionis, quod inde ordinariè sequitur; aut si conditiones Ecclesiæ & Religioni præjudiciosæ adhibentur; sic enim etiam in primùm dictis casibus non posset Catholicus ab alio Catholico injustam agressionem patiens, ac timens dicere ad *Hæreticum* vel *Turcam*; *Juva me, si juvas me contra hunc iniquum aggressorem, tuam Sectam amplectar, vel procurabo, quod Lutherani in hac, aut illa Provincia Catholica habere possint liberum exercitium Religionis suæ, vel, quòd eis cedatur hæc vel illa Civitas, vel Provincia Catholica &c.* vel *committam adulterium &c.* Et ex hac *secunda* parte Conclusionis inferuntur sequentes doctrinæ practicæ.

211 I. Posset Imperator auxilium præstare Regi Suetiæ contra Regem *Daniæ*, vel *Prussiæ*, vel huic contra illum hâc conditione, si auxilium accipiens restituere velit Ecclesiæ hunc, aut illum Episcopatum, vel cedere auxilianti Catholico hanc vel illam Civitatem, aut permittere in suis acatholicis Provinciis ædificationem Ecclesiarum Catholicarum, atque prædicationem, & exercitium Religionis Catholicæ; dummodò auxiliatricibus Copis Catholicis boni adjungantur castrenses Pastores, & Capellani Catholici; bellique Ducibus in mandatis detur, quatenus Copias Catholicas ita servent conjunctas, aut dispositas, & collocatas, talique modo regant, ut nullum periculum scandali Copiis Catholicis secuturi prudenter timeri valeat.

212 II. Posset idem Romanus Imperator aliquis, aut Respublica Veneta, adhibitâ præfatâ de evitando omni periculo scandali cautelâ auxiliares Copias præbere Turcarum Imperatori contra *Persas*, vel alios *Infideles*, hâc conditione, *si Turca auxilianti Catholico credat aliquod Regnum, Provinciam aut Insulam, v. g. Serviam, Candiam, vel Terram sanctam*, vel *si permittant liberum Catholicæ Religionis exercitium in suis Regnis &c.*

213 III. Posset Rex Galliæ, vel Hispaniæ, vel alius Princeps Catholicus in Bello justo juvare *Anglos* contra *Hollandos* nunc hæreticos, vel hos contra illos cum simili conditione evidenter utili Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ, v. g. *si Angli iterum admittant in Hibernia Pastores Catholicos & Religiosos, eisque Monasteria restituant*; vel *si exercitium Religionis Catholicæ liberum in tota Angliâ permittant &c. aut Catholicis aliqua cedatur Provincia.* Ratio patet, quia in his tribus & similibus abest scandalum, & Ecclesiæ damnum, simulque adest evidens ipsius commodum.

214 IV. Posset Princeps Catholicus quivis *Infideles*, aut *Hæreticos* invocare pro auxilio contra illos *Infideles*, vel *Hæreticos*, v. g. Regem *Daniæ*, & *Prussiæ* contra Regem *Sueciæ*, hos & alios Hæreticos, vel etiam Regem *Persarum* contra Imperatorem *Turcarum*; dummodò id fiat sine aliqua Ecclesiæ & Religioni graviter præjudiciosâ conditione, & sufficienter præcaveatur scandalis: Unde teste Pignatelli *Tom.* 9. *consult.* 185. *num.* 89. Strumius *in lib. de Administrat. bell. Turc. p.* 3. suadet Imperatori Catholico, ut perpetuum *Fœdus* habeat cum *Mosco*, & *Persarum* Rege contra Imperatorem *Turcarum*, & Engel *de Treuga & pace* testatur de Communi DD. licere Principi Catholico invocare pro auxilio *Infideles*, aut *Hæreticos* contra alios *Infideles*, vel *Hæreticos*.

215 V. Posset Princeps Catholicus *Infideles*, aut *Hæreticos*, contra alios *Infideles*, aut *Hæreticos* cum modico, aut minore Ecclesiæ præjudicio pro auxilio invocare, casu quo inde omnino necessarium esset, ad evitandum longe majus Ecclesiæ, aut Religionis damnum; ut si evidens, aut humanitùs certum esset, quòd Princeps Catholicus v. g. Imperator, aut Rex Galliæ sufficientibus propriis, & aliorum Catholico-

tholicorum auxilio carens, *Infidelibus* vel *hæreticis*, cum quibus bellum gerit, integrum Regnum, aut plures Provincias cedere debeat, nisi *Infideles*, aut *hæreticos* alios vocet, & adhibeat pro auxilio; quale hi sine aliqua modica, aut minore Ecclesiæ præjudicio, v. g. nisi Religionis *Catholicæ* exercitium in certa aliqua Civitate, vel Provincia *Catholica* permittatur, aut nisi Civitas aliqua eidem cedatur, non præstarent. Ratio patet; quia inter duo Ecclesiæ mala, utique minus eligere, & permittere oportet, si utrumque evitare, sed alterutrum necessariò permittere debemus *arg. can. Hac ratione.* 9. *cau.* 31. *q.* 1. & *l. Legis virtus.* 7. *ff. de Legib.* cum Concordantiis.

216 VI. Potest Princeps Catholicus in bello apertè justo *Infideles*, aut *Hæreticos* pro auxilio invocare contra alios, etiam Catholicos, si absque ulla conditione Ecclesiæ, & Religioni præjudiciosâ id facit, ac cæteroquin tales circumstantias adhibet, ut moraliter certum appareat, nullum exinde grave damnum, vel præjudicium nec Ecclesiæ aut Religioni in communi, nec locis, rebus, ac personis sacris secuturum; si v. g. *infideles*, aut *hæreticas* Copias pro certa mercede pecuniaria assumit non in magna, sed in modica, vel tali quantitate, ut cum exercitu suo notabiliter excedens eas, disciplinam militarem exactè servare, & cavere possit, ne tales *Infidelium*, aut *hæreticorum* Copiæ respectu Ecclesiarum, Monasteriorum, aliarumque rerum, personarum, & locorum sacrorum, ruinas, injustas spoliationes, rapinas, violentias, aut alia sacrilegia committant, simulque à periculosa, & scandalosa conversatione cum Catholicis abstineant.

217 Minimè verò potest Princeps Catholicus *Infideles*, aut Hæreticos contra Catholicos pro auxilio invocare & adhibere in tali quantitate, vel talibus cum circumstantiis, ut prudenter prævideat, se cohibere non posse, quin grave damnum, & præjudicium Ecclesiæ & Religionis Catholicæ inde sequatur, vel saltem respectu locorum, rerum, & personarum sacrarum, multæ & graves ruinæ, rapinæ, & violentiæ, sacrilegia &c. ut cum aliis bene advertit March. *Tom.* 2. *Tr.* 6. *Tit.* 3. *q.* 1. *dub.* 4. *Resolut.* 2.

218 Nec excusat Principem Catholicum, si dicat, se ista nec velle, nec intendere, sed quia prohibere non potest, præcisè permittere: nam ut bene ex D. Thoma 1. 2. *q.* 20. *art.* 5. & *q.* 73. *a.* 8. communis Theologorum arguit, hoc ipso, quòd Princeps certò prævideat, se prohibere non posse, quin similia mala Ecclesiæ, vel Religioni sequantur, si *Infideles*, aut *Hæreticos* pro auxilio implorat, præfata indirectè velle, eorumque coram Deo reus esse censetur, si hujusmodi auxilium nihilominùs adhibet: Quod Theologicè ulteriùs egregiè deducit, & exemplis declarat Pignatelli *cit. Tom.* 9. *Consultat.* 185. *à num.* 119. *usque ad num.* 136. quem lege.

219 Multò minùs potest Princeps Catholicus invocare *Infideles*, vel *Hæreticos* pro auxilio contra alium Principem Catholicum cum conditione aliqua Ecclesiæ apertè præjudiciosa, & damnosa, v. g. *Si juvatis me, cedam vobis hanc vel illam Civitatem, Provinciam Catholicam &c.* vel, *quidquid de Terris, Regnis, Provinciis Adversarii mei Catholici obtinuerimus, vel occupaverimus, inter nos dividamus*: vel *Relinquam vobis, vobisque maneat illa certa Provincia, vel Civitas Catholica, si illam ab Adversario meo occupaverimus.* Cùm enim hæc, aut similes conditiones sint graviter præjudiciosæ, & damnosæ Ecclesiæ ac Religioni Catholicæ, ut consideranti patet, neutiquam licet Principi Catholico sub aliqua earum invocare *Infidelium*, aut *Hæreticorum* auxilium pro recuperanda, vel conservanda re temporali, quantumvis Jure sibi debitâ, prout ex unanimi, & certâ Doctorum amplius dicimus suprà *num.* 160.

220 Breviter autem recapitulando prolixiùs dicta à *num.* 156. hucusque, certa ac indubitata sunt sequentia, I. Certum est, non licere Principi Catholico inire *Fœdus* cum *Infidelibus*, aut *Hæreticis*, nec auxilium eis præbere, nec petere ab iis in Bello patenter injusto, sive contra Catholicos, sive Acatholicos juxta dicta *numer.* 157.

221 Certum est II. Quòd Princeps Catholicus nec vi *Fœderis*, nec aliàs præbere possit Infidelibus auxilium ad bellum pro dilatanda, aut promovenda sua, & infirmanda, restringenda, aut minuenda nostra verâ Religione directè aut indirectè institutum, aut instituendum per dicta *num.* 158.

222 Certum est III. Quòd Princeps Catholicus sine gravissimo peccato Mortali *Infidelibus*, aut *Hæreticis* nec auxilium possit præbere, nec auxilium ab eis petere, vel *Fœdus* cum illis inire contra alios præsertim Catholicos cum conditionibus Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ graviter præjudiciosis, vel si inde certò secuturum prævideatur grave damnum aut præjudicium Ecclesiæ, vel Religionis Catholicæ, juxta dicta *n.* 159. item *n.* 160. & *seqq. usque ad num* 184. *ac num.* 217.

223 Communissima ulteriùs, quasi unanimis, & certa doctrina est IV. Quòd, etsi conditiones Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ, præjudiciosæ non adhibeantur, & grave aliquod præjudicium, vel damnum inde secuturum non prævideatur, tamen ordinariè, & regulariter loquendo, illicitum sit Principi Catholico cum *Infidelibus*, aut *Hæreticis* inire *Fœdus*, vel eorum auxilium invocare, vel juvare eosdem contra alios saltem Catholicos, juxta dicta *num.* 185. *usque ad num.* 209.

224 Quibus non obstantibus probabile & tutum est, quòd si nullæ adhibentur conditiones Ecclesiæ, vel Religioni graviter præjudiciosæ, aut aliàs iniquæ, & negotium ita tractetur, ut grave aliquod Ecclesiæ damnum sequi non posse, moraliter certò cognoscatur, possit Princeps Catholicus *Fœdus* inire cum *Infidelibus* & *Hæreticis*, vel auxilium eorum invocare contra alios *Infideles*, vel *Hæreticos*; item possit eosdem juvare contra alios *Infideles*, vel *Hæreticos*, præsertim cum conditionibus Ecclesiæ utilibus, vel cum emolumento inde secuturo juxta dicta *à num.* 209. Item possit etiam id facere in Bello apertè justo contra alium Catholicum Principem, si omne Ecclesiæ, ac Religionis damnum & periculum illius certò abest, juxta dicta *num.* 216.

225 Ignoscat benevolus Lector, quòd materiam hanc de *Fœdere* Catholicorum cum *Infidelibus*, & *Hæreticis*, atque auxilio, quod petitur ab illis, vel præstatur eisdem, tam prolixè, repetendo etiam subinde aliqua, egerimus: Impulit ad hoc amor & cura erga Ecclesiam & Religionem Catholicam, quæ à plurimis jam annis passa est, & etiamnum patitur gravissima, lachrymis sanguineis deploranda damna ac præjudicia in diversis terræ partibus præsertim in Europa ex eo, quòd plures Principes Catholici spretâ, vel neglectâ, & non observatâ suspradictâ quantumvis certâ doctrinâ, sequendo sola principia politica & statistica pro obtinendis, vel conservandis bonis temporalibus, pro dilatanda, & exaltanda Domo sua, alioque hujusmodi fine temporali cum *Infidelibus* vel *Hæreticis* Belli *Fœdus* inire, eorumque auxilium invocare, vel præbere eisdem contra alios etiam Catholicos sub conditionibus

nibus Ecclesiæ & Religioni graviter præjudiciosis, vel aliàs cum gravi ejusdem damno, ac præjudicio summè peccaminosè passim præsumpserint. Infinita Dei bonitas faciat, ut vel unicus Princeps Catholicus, vel Consiliarius, aut Confessarius horum lectione pro avertendis tot, tantisque Ecclesiæ & Religionis damnis, indeque subsequente tot animarum jacturâ moveatur.

225 Quæritur III. An liceat Principi Catholico contra *Hæreticos* ob solam *Hæresin* bellum gerere, eosque bello adigere, ut *Hæresin* deserentes, veram amplectantur Religionem? *Resp.* I. Loquendo de Jure communi, & nisi publicæ, validæque pacis, vel alius legitimus contractus & pactum publicum resistat, non tantùm possunt, sed tenentur Principes Catholici contra *Hæreticos* sibi subditos, ob solam *Hresin* bellum gerere, eosque bello expugnare, si alio modo eos coercere non valent. Communis & certa. Patetque ex dictis suprà à *num.* 139. ubi ex Jure utroque, & ratione probavimus, quòd Principes Catholici tolerare in suis Territoriis non possint, sed exterminare teneantur *Hreticos* sibi subditos; ergo si id aliter quàm bello præstare nequit, *Hæreticis* forsan invalescentibus, aliorum *Hæreticorum* auxilium implorantibus, utique bello eos expugnare potest, ac tenetur Princeps Catholicus.

226 Dicitur tamen notanter, *nisi publicæ validæque pacis, vel alius legitimus contractus vel pactum obstet*; quia cuivis etiam *Infideli*, & *Hæretico* fides servanda est prout ampliùs diximus suprà *num.* 150. meritò tamen *num.* 151. addentes, nisi nova justa causa superveniat, ob quam justè ejici valent, ut si v. g. periculosas machinationes, aut alia enormia, vel graviter præjudiciosa præparant, aut perpetrant contra veram Religionem, Principem, Provinciam, pacem publicam &c. juxta dicta *num.* 151. & *Tit. præced. num.* 8.

227 Cæterùm ex Conclusione infertur, non solùm posse, sed & teneri Principem Catholicum, qui in suo Territorio *Hæreticos* nunquam recepit, vel semel receptos, justè iterum expulit, v. g. Imperatorem, Regem Galliæ, Hispaniæ &c. bellum contra *Hæreticos* gerere, & bello illo impugnare, si v. g. in Bohemiam, Austriam, Galliam, Hispaniam se rursus intrudere vellent, aut ibidem occultò intrusi jam invalescere inciperent, aut si proprii Subditi à vera Fide deficere attentarent.

228 Resp. II. Quamvis Princeps Catholicus propriâ authoritate non possit ob solam *Hæresin* gerere bellum contra *Hæreticos* sibi non subditos, tamen licitè, & meritorie hoc potest authoritate summi Pontificis ad id exhortantis, suadentis, vel mandantis. *Prima* pars Conclusionis patet ex dictis in simili *de Judæis Tit. præced.* ob easdem verè rationes, præsertim verò, quia caret omni jurisdictione &c.

229 *Secunda* pars probatur; quia Papa tanquam supremus & universalis Ecclesiæ Pastor habet jurisdictionem in omnes Christi *Fideles*, etiam *Hæreticos*, utpote qui per Baptismum tanquam januam, Ecclesiam ingressi, veri Subditi illius facti sunt, & semper manent; etiamsi in facto rebelles & inobedientes ei sese exhibeant; consequenter sicut Princeps profanus suos Subditos rebelles, vel à Fide deficientes & ad *Hæresin* deviantes bello coercere, & expugnare potest per dicta *num.* 225. sic idem per se, vel per alios ad id invocatos, aut demandatos, atque hi de voluntate vel mandato, consequenter authoritate ipsius poterunt.

230 Confirmatur: Præcipua ratio, quare non liceat Principibus Catholicis *Judæos*, aut *Infideles* propter solam *Infidelitatem*, aut *Judaismum* impugnare est; quia deest eis jurisdictio puniendi, & bello coercendi *Infidelitatis* crimina alienorum sibi non subditorum, prout ampliùs diximus *Tit. præcedent. num.* 47. atqui hæc ratio cessat in casu, quo Princeps Catholicus ob solam *Hæresin* bellum gerit contra *Hæreticos* sibi non subditos, authoritate Summi Pontificis; utpote cui plena competit jurisdictio etiam in *Hæreticos*, & in crimina eorum, non obstante rebellione illorum: imò quò magis eidem rebelles sunt, eò majorem causam habet, illos bello per se, vel per alios coercendi; præsertim ubi eos nimiùm invalescere, & nisi bello coerceantur, pacem Ecclesiæ per eos turbari, graviaque mala, ac præjudicia inferri, aut certò Ecclesiæ imminere cernitur; quia sicut juxta dicta, rebellio Subditorum erga Principem seu potestatem sæcularem, aut si per illos pax Reipublicæ injustè turbatur, justam causam Principi præbet, Subditos bello coercendi, ita multò magis justam causam belli præbet, si Subditi rebelles sunt contra potestatem, & Caput suum spirituale, pacemque Reipublicæ Christianæ, seu Ecclesiæ Catholicæ perturbant; cùm hæc rebellio longè pejor sit illâ, & longè majus malum commune sit turbatio pacis respectu Religionis & Ecclesiæ, quàm politicæ Reipublicæ.

Accedit, quòd *Hæretici* unà cum pace Eccle- 231
siæ, plerumque etiam perturbent pacem Reipublicæ politicæ: Tum quia, ubi non est unitas Fidei, ibi pax Reipublicæ diu conservari nequeat: Tum quia *Hæretici* sunt superbi, ubi autem superbia, ibi discordia.

Nec dicant *Hæretici*, se nec Reipublicæ poli- 232
ticæ, nec Ecclesiæ turbare pacem: Nam contra exempla clamant innumera, & continua quasi experientia, quâ constat, quas turbationes tam respectu Ecclesiæ, quàm respectu Reipublicæ politicæ ubique semper causârint, & etiamnum causent *Hæretici*. Quis enim vel parùm eruditus ignorat, quas turbationes respectu utriusque causârint in toto Oriente *Ariani*? quas in Græcia Macedoniani? quas in Africa *Donatistæ*? quas in Romano Imperio *Lutherani*, & *Calvinistæ*? quas iidem in Hungaria, & Polonia? quas *Hussitæ* in Bohemia? quas *Hugonotæ*, & *Calvinistæ* in Gallia, Anglia, Belgio? quos *Hæreticos* subditos suos, sive alienos propriâ, sive alienâ, videlicet Pontificiâ authoritate, si Principes Catholici sepositâ omni æmulatione, ac inordinato amore, aut interesse proprio saltem in principio, antequam invalescebant, bello compescuissent, innumera eaque gravissima tam Ecclesiæ, & Religionis, quàm Reipublicæ communia mala, ac innumerabilium animarum ruinam videre non fuisset, nec defactò esset.

Dicitur autem notanter in Conclusione: *Nisi* 233
publicæ validæque pacis, aliusve legitimus contractus, aut pactum publicum obstet; quia sicut *Infidelibus*, sic etiam *Hæreticis* servanda est fides publica, *arg. l. Sicut.* 5. *C. de Obligat. & Act. & c. Noli. cau.* 13. *q.* 1. cum Concordantiis. Et ad longum probat Layman *lib.* 2. *Tr.* 3. *cap.* 13. *num.* 15. *per totum*, ubi etiam docet, quòd Principes Catholici *Fœdus*, aut pacem publicam cum *Infidelibus*, aut *Hæreticis* initam, Papa tollere aut relaxare etiam ex parte Catholici nequeat; quæ tamen intellige; dummodò tale *Fœdus*, aut alius Contractus publicus ex objecto malus vel iniquus non sit: Nam hoc ubi esset, utique etiam publicum hujusmodi *Fœdus*, aut pacis Tractatum tollere, & relaxare posset, prout actu fecit juxta dicta suprà *num.* 154.

§. V.

§. V.

De Pœnis spiritualibus Hæreticorum.

SUMMARIUM.

234 *Sola Hæresis formalis.*
235 *Externa contrahit pœnas spirituales.*
236 *Quid requiratur, quòd sit, & dicatur externa?*
237 *Pœnæ spirituales Hæresis enarrantur in compendio.*
238 *Quævis Hæresis ipso facto inducit Excommunicationem Papæ reservatam.*
239 *Si est* Formalis.
240 *Et* Externa.
241 *Animo eam asserendi manifesto seu externè prolata.*
242 *Atque peccaminosa.*
243 *Doctrinæ practicæ ad propositum de Hæresi* Formali externa, *usque ad num.* 247.
247 *Excommunicationem dictam Papæ reservatam ipso facto incurrunt etiam credentes Hæreticis. Et num. seq.*
249 *Item eorum Receptores,*
250 *Defensores.*
251 *Et Fautores.*
252 *Et qui horum aliquem sepeliunt.*
253 *Receptores, Defensores, & Fautores Hæreticorum sunt excommunicati, etsi sint tales solùs amicitiæ, aut consanguinitatis causâ.*
254 *Hæretici* publici.
255 *Et probabilius etiam occulti sunt irregulares.*
256 *Hæretici omnes, eorumque Receptores, Defensores, & Fautores sunt inhabiles ad Beneficia, & Officia Ecclesiastica.*
257 *Et tenentur Beneficium in Hæresi receptum, imò cum fructibus dimittere, & restituere.*
258 *Etiamsi convertantur, & Hæresin abjurent, si fuère notorii Hæretici.*
259 *Num etiam occulti Hæretici post conversionem maneant inhabiles, controversia est apud Doctores.*
260 *Sunt insuper privati Beneficiis prius obtentis.*
261 *Ad quam tamen juxta aliquos requiritur Sententia condemnativa Judicis.*
262 *Sed verius est, eam non requiri.*
263 *Solvitur objectio contra hanc doctrinam.*
264 *Et confirmatur consuetudine, & stylo Curiæ Romanæ.*
265 *Requiritur tamen sententia declaratoria criminis commissi.*
266 *Hinc ob Hæresin occultam nemo tenetur restituere Beneficium prius ritè obtentum.*
267 *Hæretici, eorumque Receptores, Defensores ipso Jure privantur etiam Sepulturâ Ecclesiasticâ. Quid Juris, si Hæreticus in loco sacro sepeliatur? Ibid.*
268 *Filii, Nepotes etiam Catholici Patris hæretici, soli autem Matris hæreticæ filii sunt inhabiles ad Officia, & Beneficia Ecclesiastica. Et num. seq.*
270 *Nisi Parentes eorum ante mortem se convertant.*
271 *Quamvis conversi Parentes maneant adhuc inhabiles.*
272 *Sicut & controversorum filii, si sint de relapsis in Hæresin parentibus.*
273 *Secundùm aliquos Filii, & Nepotes Hæreticorum in Germania non sunt inhabiles ad Beneficia.*
274 *Statuitur, & probatur sententia contraria.*
275 *Cui non derogant publica Pacta & Fœdera cum Hæreticis in Germania inita.*
276 *Infamia non est causa, ob quam Hæreticorum filii sint irregulares, & inhabiles.*
277 *Probatur ad hominem.*
278 *Non est universalis consuetudo in Germania admittendi Hæreticorum filios ad Beneficia.*
279 *Cùm de contrario experientia constet.*
280 *Si alicubi viget dicta consuetudo, legitimè præscripta, valet, si probari potest; quod difficile est.*
281 *Filii Hæreticorum &c. ipso facto etiam privantur Beneficiis prius ritè obtentis.*
282 *Non tantùm post, sed etiam ante lapsum parentum in Hæresin ritè obtentis, uti contra Sanchez & alios habet probabilior & Juri conformior, usque ad num.* 286.
286 *Spiritualibus Pœnis subjacent Hæreticorum filii etiam ante lapsum parentum in Hæresi nati.*
287 *Ut magis castigentur in Filiis Parentes. Filii innocentes ob delicta parentum divino, & humano judicio puniri solent. Ibid.*
288 *Probatur aliâ ratione.*
289 *Et consuetudine Legem interpretante.*
290 *Plures probabiliter cum Sanchez docent, filios Hæreticorum ante eorum lapsum natos, non incurrere pœnas Juris.*
291 *Qui per preces Hæretici Beneficium obtinent, privantur sic obtento, & fiunt inhabiles ad alia.*

NOtandum, duplicis generis esse pœnas contra *hæreticos* utroque Jure latas, *Spirituales* videlicet, & *Temporales*. De illis in præsenti, de istis verò in sequenti §. agemus.

Quæritur itaque I. Quænam *hæresis*, & quas 234
in compendio contrahat Pœnas Spirituales? Resp. I. Omnis, & sola *hæresis formalis externa* spirituales pœnas coram Deo, & in conscientia contrahit. Communis, & certa. Ratio *primæ partis*, videlicet, quòd omnis, & sola *formalis* pœnas secum trahat, est; quia materialis Hæresis, nec vera *hæresis*, nec culpa, vel peccatum est juxta dicta suprà *n.* 12. consequenter nullam pœnam meretur. Palao *de hæresi. tr.* 4. *Disp.* 3. *n.* 16. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 8. cùm ubi nulla culpa, ibi nulla sit pœna, *per vulgaria Juris.*

Dicitur autem notanter, *coram Deo, & in conscientia*, quia in Foro externo quævis *hæresis externa* ordinariè præsumitur *formalis*; cùm Judices tam Ecclesiastici, quàm Sæculares in Foro externo judicent secundùm externa, hoc ipso, quòd interna cognoscere nequeant, *c. Sicut.* 33. *de Simonia.* Farinacius *de hæresi. q.* 179. *num.* 55. *& seqq.* Palao *loc. cit. num.* 17. bene advertens, quòd alias quivis *hæreticus* pœnas in Foro externo facilè eludere posset dicendo, se internè aliter sensisse, & veram habuisse Fidem.

Ratio *secundæ partis*, videlicet, quòd omnis 235
& sola *hæresis externa* pœnas secum trahat, est; quia *cogitationis pœnam nemo patitur, can. Cogitationis.* 14. *de Pœnitent. dist.* 1. cùm Ecclesia, quæ non judicat de occultis, *c. Sicut.* 33. *de Simonia*, sed tantùm de manifestis, *occulta & interna, seu mentalia districtio Judici Deo (qui scrutator est cordium, & secretorum cognitor) relinquit puniendà, c. Tua nos* 34. *eod.*

Ubi tamen advertendum, *hæresin externam*, in 236
ordine ad contrahendas pœnas *spirituales*, sufficienter esse & dici, si signo, verbo, vel facto aliquo *hæresin internam* sufficienter expressivo in ordine ad eam externè manifestandam posita, aut prolato manifestatur, etiamsi quis in occulto, & nemine prorsus præsente id faciat, Sanchez *lib.* 2. *Moral, cap.* 8. *num.* 6. Pirhing *h. t. num.* 16. Layman. *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 14. Barbosa *de Offic. & Potestat.*